UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Malvm Svmmi Mali Sive De infinita grauitate peccati mortalis Libri Qvinq[ve]

Pelecyus, Johannes

Monachii, 1615

XIII. Magna nostra mater & benefactrix virgo Maria peccato mortali offenditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52025

Visual Library

nore coronata, in veſtitu deaurato, circundata varietate, ſupra ſe ſanctiſſimam tantummodò Trinitatem, & Chriſti humanitatem, infra ſe omnes omnium Angelorum hominumq; hierarchias, omnes choros, omnes cœlos, & elementa, æternùm regina omnium regnatura triumphat. Et hæc mortali peccato offenditur? O portentoſum & Sathanicum peccatum.

CAPVT XIII.

Magna noſtra benefactrix Virgo Maria peccato mortali offenditur.

Beneficia plurima dedit nobis ſacratiſſima Virgo. Principiò *porta fuit*, iuxta D. Ambroſium, *per quam Deus ingreſſus eſt in mundum; porta clauſa, ideo virgo, porta orientalis, quoniam verum lumen effudit, quæ generauit orientem,*

In lib. de inſtit. virg. ad Euſ. 6. c. 6.

peperitq́; ſolem iuſtitiæ; Vnde & ab Eccleſia canitur: *Salue porta, ex qua mundo lux eſt orta.* Dirum deinde illum ſerpentem, qui vniuerſo hominum generi, peſtiferis faucibus teterrimũ venenum afflauerat, contudit, caputque eius, per Chriſti gratiam contriuit. *Hæreſes item ſola in vniuerſo mũdo interemit*, hæreticoſq; altera pecora campi abegit. Peccatum in orbem illatum pepulit, hominemq; ex faucibus mortis, & inferni eripuit, vita illi ſpiritali allata. *Defenditur*, ait Gregor. Mag. *& purgatur mulier à muliere. Prima (Eua) aditum, & locum introeundi peccato dedit; hæc vero (Maria) introeunti iuſtitiæ ſubſeruiuit; illa cõſilium ſerpentis amplexa atque ſecuta eſt, hæc ſerpentis interfectorem præbuit; illa per lignum peccatum introduxit, hæc per lignũ bonum inuexit.* Et ante eum D. Aug. *Auctrix* pec-

Ita Eccl.

In orat. de Natiu.

Serm. de Aſſump.

peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit; illa percuſſit, hæc ſanauit. Ser. de Aſſumpt. *Ab ea,* vt D. Hieron. ſcribit, *tanquā canali, & à filio, ceu fonte, omnis in orbem emanat gratia. Eius etiam vnius vita, omnium,* iuxta D. Lib. 1. de Virgin. Ambroſ. *diſciplina eſt, omnium ſpeculum. Sol ijs, qui in ſplendore gratiæ vitam agunt. Aurora ijs, qui è peccatorum tenebris ad pænitentiā tranſeunt. Omnium actionum auſpex, dux & mediatrix. Omnium eſt mater, patrona, & aduocata, miſericordes oculos ad nos conuertens, miſeris ſuccurrens, iuuans puſillanimes, refouens flebiles, pro populo orans, pro clero interueniens, intercedens pro deuoto fœmineo ſexu. Et quis dubitet Mariam quicquid à filio petit impetrare? aut quid illam aliud petere poſſe exiſtimat, quàm quod Deo gratiſſimum, & ijs pro quibus intercedit ſalutare futurum ſit?* Interceſſio illius turris

ris eſt eburnea adeoque fortiſſima, ad quam omnes ab hoſtibus obſeſſi, ſeſe ſalutis cauſa recipere poſſunt. Ex ea mille clypei pendent, omnis armatura fortium, quam induere debemus, vt poſſimus ſtare aduerſus inſidias Diaboli. Commune eſt *Eph.6.11.* mundi propitiatorium, cuius longitudinem, latitudinem, altitudinem, ac profunditatem S. Bernardus his verbis deſcri- *Ser.4.de Aſſump.* bit: *Quis miſericordiæ tuæ, ô Virgo benedicta, lõgitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundũ queat inueſtigare? Nam longitudo eius, vſq; in diem nouiſſimum, inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis; latitudo eius replet orbẽ terrarũ, vt ſua miſericordiâ plena ſit omnis terra; ſic & ſublimitas eius, ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem; & profundũ eius, ſedẽtibus in tenebris, & in vmbra mortis, obtinuit redemptionẽ. Ad cœlũ ſcala Iacob eſt,*

& porta cæli peruia. Hęc omnia docent Sathanicã eſſe peccati malitiã qua illa grauiter offenditur.

CAPVT XIV

Qua re peccator Diuam Virginem offendat?

EA primũ: Quæ Chriſto Domino ex fide meritiſſimò tribuimus, cum matre glorioſiſſima ferè cõmunia ſunt omnia, & id igitur commune erit, vt cùm Chriſtus offenditur, vti peccato grauiſſimè offenditur, offenditur & eodem mater. Incomparabilis deinde D. Virginis in filiũ ſuũ amor eſt, fieri ergo nequit, eum peccato offendi, nõ ipſam; effectus enim amoris zelus, cõmunem mali ſenſum efficit. *Dauid vidit præuaricãtes & tabeſcebat.* *Paulus vidit ſcandalizatos & vrebatur.* B. igitur & virgo videns filiũ ſuum offendentes, offenditur & ipſa

Pſ. 118: 139. & 158.
2. *Cor.* 11: 29.